

Brenning:

Solutiones arithmeticae
Demicae I.

1755.





Pr. Op. num. 23.

PROLVSIONES ACADEMICAE

I

A D

ORATIONEM
D. HELVII PERTINACIS A.

1450

IN

§. VII. INST. QVIB. MOD. TESTAM. INFIRM.

II

A D

S C T V M
MODESTIANVM

EX

CAP. I. DIG. DE FVGITIVIS

A V T O R E

CHRISTIANO HENRICO BREVNING

ICTO ET ANTECESSORE.



EDITIO SECVNDA

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

A. MDCCLV.



P. 301

Kb.



PROFESSOR ACADEMICUS

A.D.

O. N. A. T. I. O. N. I. S. M. A. G. I. S. T. R. I. S. T. R. A. T. I. C. I. S. A.

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

II

M. A. G. I. S. T. R. A. T. I. C. I. S. A.

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT





AD
ORATIONEM
DIVI. HELVII. PERTINACIS A.
IN
§. VII. INST. QVIBVS MOD. TEST. INFIRM.



§. I.

bi adhuc *calatis* illis *comitiis*, quae apud A
GELLIVM *Noct. Attic. Lib. XV. cap. 27.*
depicta habes, cuius romanus de bonis suis
aeque ac sacris legem ferebat, ea semel lege
iure lata, nulla ratione vniuersa hereditas
auferri, eaque voluntas, populi suffragio
confirmata, immutari potuit, quam noua lege lata; quo-
tiesque Pontificum autoritas in *sacris* cum *pecunia* trans-
ferendis necessaria videtur, iis semel ex Pontificio iure
translatis, si id testator fieri nollet, eorundem Pontificum

contrariam auctoritatem requirere debebat, et tunc nec sola *voluntatis mutatio* sufficere visa fuit. Post vero, ubi inualuit emtione et venditione imaginaria, adhibitis testibus, tanquam imagine Populi Romani, per *aes* et *libram* hereditates relinquere, quem modum e medio Iure ciuili esse, neque ad Pontificum cognitionem pertinere, refert CICERO de *Legib. Lib. II. cap. 21.* alia succedere debebat venditio, qua prior illa venditio inualida redderetur. Excogitata contra a Praetore *subsignatione* et postea inuenta *subscriptione* testium, ex principum Constitutionibus subnata est quaesitio: qua ratione vltima illa voluntas, quam LL. teste VLPIANO L. IV. ff. de *adim. vel transf. legat.* ambulatoriam depraedicant, immutari possit? Accedebat, quod tot tantaeque rationes infirmandi vltimas voluntates excogitatae fuerint à Legibus et ICtis, vt vel *rumpi*, vel *desitui* dixerint, mox vero *nullum*, mox *irritum* adfirmauerint; proposita est quaesitio, an contraria mentis declaratione nuda testamentum infirmari et rumpi possit? Et quid mouisset Legislatores, vt certi aliquid hic statuerent, nisi aliqua vel dubitandi ratio, vel saltem contrariae sententiae prouenerint? Forfan amor agnatorum eorundemque ius quaesitum et libera illa vltima voluntas quosdam in hanc deduxit opinionem, vt et nudam voluntatem sufficere crederent, qua prius testamentum rumperetur, quamuis noua illa voluntas non transfisset in legem. Sed superuenerat demum Lex HONORII in L. VI. C. *Theod. de testam.* qui adeo Imperator, elapso solum decennio, mutandi animum praesumebat, et sic constituebat, vt, si post

post testamentum conditum decennium elapsum, amplius ex eo nullus succederet heres. Quod mouit demum IUSTINIANVM in L. XVIII. C. de testam. vt eandem reuocationem coram tribus testibus fieri voluerit, (licet analogia iuris septem exigere videretur, vt ea ratione, qua lex lata et abrogaretur,) licet non vndiquaque constet, an decennium reliqua suppleat, quod tamen verius mihi videtur, vt id simul exigatur, cum copulandi particula ET vsus fuerit Imperator, nullum quasi superesse videbatur dubium, quod ex incepto nec perfecto testamento, voluntatis saltem mutatae declaratio appareret, et hinc priores tabulae infirmarentur. Ea vero displicuit concludendi ratio Imperatori HELVIO PERTINACI, qui Oratione in senatu habita et subsecuto SCto cauit: vt priores tabulae perfectae, tantum per posteriores iure perfectas rumperentur, quod non modo Biographus ille IULIVS CAPITOLINVS in Vita Pertinacis cap. VII. sed praeter eum testatur IUSTINIANVS in §. VII. I. quib. mod. test. infirm. Ita vero ibi scriptum legimus: *Ex eo autem solo non potest infirmari testamentum, quod postea testator noluerit valere: usque adeo, vt si quis post factum prius testamentum, posterius facere coeperit et aut mortalitate praeventus, aut quia eum eius rei poenituit, id non perfecerit: diui PERTINACIS oratione cautum sit, ne alias tabulae priores, iure factae, irritae fiant, nisi sequentes iure ordinatae et perfectae fuerint: nam imperfectum testamentum sine dubio nullum est; qua decidendi ratione vtitur quoque HARMENOPVLVS Lib. V. Tit. V. §. 7.*

THEOPHILVS Paraphraſtes et Inſtitutionum artifex, quid praecipue mouerit Pertinacem ad haec ſtatuenda, his addere videtur verbis: Διαθέμενός τις καὶ ἐπιζήſας τῇ ποιήſει τῆς διαθήκης ἔειπεν: ἔ βέλομαι ταύτην ἰſχύειν, atque ex ratione, quam idem adpoſuit, τὰ γὰρ ἐννόμως γινόμενα ἐννόμως ανατρέπεſθαι. Hanc Iuris Heluiani regulam ſecuti ſunt Imperatores THEODOSIUS et VALENTINIANVS. A. A. in L. XXI. §. 3. C. de Teſt. quae ad Praefeſtum P. directa eſt. Aiunt: *Si quis teſtamento iure perfeſto, poſtea ad aliud venerit teſtamentum, non alias quod ante factum eſt inſirmari decernimus, quam ſi id, quod ſecundo facere teſtator inſtituit, iure fuerit conſummatum.*

§. II.

Approbauit regulam iuris antiquioris Pertinax Auguſtus SCto, vt prius teſtamentum per poſterius rumpatur *). Sed cum poſterius perfectum eſſe debeat, an de ſolemnitatibus externis dicat, quae iuris ſunt, an de internis, videlicet heredis inſtitutione, quaerendum; et magis eſt, vt de externis dicamus, idque verba *iure ordinatae tabulae* indicant. At ſi ad verba: *mortalitate praeuentus*, aut, *quia eius rei eum poenituit*, respicias, dubitari poſſit, an non magis de interna ſolemnitate cogitauerit legiſlator? Caue vero ne id credas; de non rumpendo enim teſtamento ait vox Auguſta per imperfeſtum,

*) Male prouocat HEINECCIUS in *Antiq. Jur.* L. II. Tir. XVII. §. 4. ad L. 6. §. 2. ff. de *Iure Codic.* quod vero caput minime huc pertinet, cum ne verbulum ibi de rupto teſtamento.

fectum, hoc est, quod testatore facere inceperat, sed nondum absoluerat, uti rem explicat *Guill. RANCHINVS Var. Lect. Lib. II. Cap. 5.* non vero de eo quod per nullum sensu stricto rumpi non posset. Iam ex antiquiori iure nullum, seu cui haud inerat *heredis institutio*, tanquam interna solennitas, prius perfectum rumpere haud poterat, sit *testamentum civile*, de quo mihi agere videtur *NERATIUS* in L. LIV. π. *de hered. instit.* idque euincunt verba: *ut ex eo heres existere potuerit: vel praetorium*, quo spectat locus *VLPIANI* in L. XI. π. *de iniust. rupt. et irrit.* Hoc enim ibidem thema proposuit: mortuo quodam binae inueniuntur tabulae, utraeque *septem testium signis munitae*, de posterioribus id maxime testatur *Domitius*, apertis iisdem, nihil ibi scriptum inueniebatur, et cum posterius nullum esset, ex prioribus succedebatur tabulis. Quod cum de internis id legislator statutum cerneret, cumque et id, cui *externae solennitates* deessent, aut quod potius inceptum non absolutum, *nullum* quasi esse videretur; hanc iuris a se statuti quoque rationem cepit, *quod imperfectum sine dubio nullum* sit, ita ut huic non plus effectuum, quam illi tribui possit.

§. III.

Tantum itaque voluit *HELVIVS*, ut testamentum, non illud, in quo internae solennitates non adhibitae, seu in quo heredis institutio deesset, vel enim cum, haud esset testamentum ipso stricto iure civili prius non rumperet; sed obseruatis maxime iis quae externa

terna erant, demum prius rumperetur si ad finem perductum, in quo conficiendo non desicisset testator, vel mutata iterum voluntate vel casu utpote mortalitatis. Quare non ad hoc SCtum pertinet hoc thema, quod diu ante iam proposuerat POMPONIVS in L. XVI. §. I. *de Vulg. et pup. subst.* Pater familias, cum testamentum condidisset, aliud postea ordinat, praeterito tamen in eo filio contra Legem *Iuniam Velleam*; prius subsistere scribit ICTUS, et recte; posterius enim nullum erat, quod filius nominatim non exheredatus fuerat, quamvis forsitan externae illae iuris solennitates, et absolutio actus testandi de quo sentit Pertinax, adhibita fuerit. Vi ergo oppositi, quoties deessent solennitates vel omnes vel quaedam, cum nullum quasi videretur, ut nullum in sensu proprio effectu destituebatur, id est, prius haud rumpit. Ex his itaque iudicavit VLPIANVS in L. II. ff. *de iniust. rupt. et irrit.* *Tunc autem, ait, prius testamentum rumpitur, cum posterius rite perfectum est.*

§. IV.

Haud itaque sufficiebat sola voluntatis declaratio ad rumpendum prius, nisi accederent iuris ceremoniae. Miror tamen *Corn. van BYNKERSHOEK Obs. L. II. c. 2.* Vbi enim successionis in causa intestati origines perlustrat *solennitate iuris et septem testibus* tunc opus esse, ait, quum lex iam lata hereditatem transfulerit, ut factum in LL. XII. *Tabul.* agnatis et gentilibus iure succedendi dato, videlicet, ut illa lex lege noua abrogaretur. Ex quo dedu-

deducere mihi amplius videtur, tunc solam voluntatis declarationem sufficere, si desint *agnati*, nec adsint, qui ex iure *gentilitatis* petere possint. Id vero vix procedet, cum ex ipsius Bataui opinione res in *primum statum*, videlicet *naturalem* redit, et sic cum mortui voluntas nulla lege accedente, quae alios coerceat, qualis lex est testamentum, nulla quoque sit, nec post mortem amplius obliget, eo perueniatur, vt a *quouis* occupari possit. Quod si itaque testator quis noluerit, non sola opus est voluntate, sed lege, ne videlicet ab alio occupari hereditas possit, quam ab eo, a quo, vt occupetur, voluerit ipse testator. Nec illa nuda voluntas comprehenditur sub Lege illa Tab. XII.

VTI QVIS SVPER PECVNIA TVTELA VE REI SVAE LEGASSIT, ITA IVS ESTO. Legem ergo exigit *Quiritium* voluntas i. e. vt adsit populus, saltem insequenti tempore per imaginem. Nil praeterea dicam de sacris familiarum, vt *Cornelium* reuellam. Quis enim occupare posset haec sine Pontificum autoritate? quod tamen fieret, si minus solennis voluntatis declaratio sufficeret, cum videlicet alligata sint pecuniae. Non inde vero deducitur, primam causam positam in pecunia, secundariam in sacris, ob id, quod *CICERO* aiat, sacra esse alligata bonis. Potius sacra erunt praecipuum caput. Didici enim publicas causas, ad quas et recte referas sacra *Domestica*, autoritati Pontificum, et sic eorum qui *Romani* populi ius circa sacra, seu eam maiestatis partem custodiebant, commissa, praefereudas causis et possessionibus priuatorum. Ex hoc vero peruideo, cur citra

B

solen-

solennitates pater *inter liberos* disponat, quia sacra iam lege ad eosdem pertinent. Sed haec non vrgeo; quapropter si quis lege de bonis suis transferendis lata, qui nec *agnatos* nec *gentiles* haberet, postea eandem sine solennitate externa, (*motus Bataui rationibus*,) abrogare vellet, nihil egisse videtur, non enim posterior voluntas lex erat, vt ea prior rumperetur.

§. V.

Quae cum ita sint, factum tamen, vt, si ad effectus respiciamus, interdum in causarum quadam similitudine, orationis Pertinacis rigor cesset. Vix quidem est, vt hae exceptiones ex specie iuris scripti procedant, sed tamen vel ex *edicto Praetoris*, vel ex *privilegio* concessio. Licet ergo hae exceptiones proprie ad SCtum nostrum haud pertineant, tamen, cum quaedam intercedat similitudo, themata quaedam adiiciamus, vbi vel ex *privilegio* vel ex *aequitate Praetoria* posterius testamentum, quod vel nullum est, vel non perfectum, valeat priusque tollat, imo, vbi posterius perfectum prius ratione effectuum et succedendi iuris non tollat.

§. VI.

Bellissime quidem *Corn. van BYNKERSHOEK Obs. L. VI. c. 20.* causam testati potiozem dicit intestati. Quod, si ad Ius ciuile respicias, omnino verum, non aequè, si vel privilegia vel Praetoris aequitatem consulas. Confer quae

quaeso VLPIANVM in L. II. ff. de iniust. rupt. vel irrit.
 Huc pertinet CAIUS in L. XII. §. 1. ff. de bon. poss. contra
 tabul. quam legem VIGLIUS ad Inst. h. t. male tribuit
 PAULO. Ait vero: Si prius testamentum extet iure fa-
 ctum, quo filius exhaeredatus est, sequens imperfectum in
 quo praeteritus sit filius; posteriore testamento praeteritus
 recte petet bonorum possessionem, si remoto quoque filio po-
 tioris sunt in ea hereditate. caet. Male HALOANDER
 in verbis: Si remoto, nouam orationem incepit, ob idque
 iam notatus a ZVICHEMO ad §. VII. I. quib. mod. test.
 infirm. et ab Ant. AVGVSTINO Emend. L. I. c. IX. in
 fin. Sane adfirmat Caius, prius testamentum perfectum
 per posterius inualidum reddi, non quidem ex Oratione
 Pertinacis, de qua suo tempore non cogitauerat ICTUS,
 sed ex edicto Praetoris, seu vti apud Caium scriptum: et
 ita ius habet. Hic enim dabat bonorum possessionem
 contra tabulas, secus, si de testamenti valore quaeras ex Iure
 ciuili scripto. Redeo ad Caium: Fecerat pater testamen-
 tum in quo filium exheredauerat, idque iure erat factum.
 Post condit testamentum, in quo praeteriit filium antea
 exheredatum, hoc vero erat imperfectum, non eo sensu, vti
 intellexit Imp. Pertinax, sed non iure factum, quippe aut
 heres instituendus, aut nominatenus filius exheredandus.
 Cum itaque posterius testamentum valere non posset,
 Praetor dabat filio praeterito bonorum possessionem contra
 tabulas, et eas quidem, ex quibus remoto filio, heres
 in iis scriptus posset obtinere hereditatem, i. e. in quibus
 testamenti tabulis omnes solennitates seruatae.

pter concludit; *Si heres scriptus non possit obtinere hereditatem, filium quoque excludi.*

§. VII.

Pragmatici formarunt hanc sibi regulam, quod, quoties heredes ab intestato successuri in testamento imperfecto scripti essent, prius perfectum rumperetur. Prouocant ad *VLPIANVM L. II. ff. de iniust. rupt. et irrit.* ad quem quoque ex elegantioribus *Scipio GENTILIS in Apuleium. n. 962.* prouocat. Sed, cum sit testamentum id priuilegiatum, et saltem ex aequitate Praetoria, vera Exceptio a regula non est, quamuis id a Iuris ratione abhorere videatur. Sed sic solent testamenta priuilegiata: Nec quaere rationem, hanc enim in sacris inuenies, imo in *LL. XII. Tabul.* quae in eorum fauorem iam populi suffragio disposuerant. Satis enim erat, vt testator qualibet ratione in vsum reuocaret *Leges XII. Tabular.* agnatis suis iam deferentes hereditatem. Sic mittimus *CAIVM* et *VLPIANVM.*

§. VIII.

Et vbi de priuilegiati testamenti specie iam diximus, ad milites redeamus, eodem priuilegii genere instructos, quod testatur *VLPIANVS c. I.* et *PAVLVS in L. XXXII. §. 1. et 2. de test. milit.* Tria vero sunt themata separanda. Miles testamentum fecerat absque solennitate suo iure, missus intra annum aliud coepit facere nec perfecit, prius solutum videtur *ICto*, ratio est, cum
nulla

nulla solemnitate conditum, absque solemnitate et reuocari possit. Altera facti species haec est: Facto prius testamento militari, postea eodem iure cepit posterius, id vero non perfecit: rumpi prius dicitur ex ratione Pauli, quoniam voluntas quoque militis testamentum est. Tertium thema est: Si iure communi testatus fuerit, et postea aliud inceperat nec perfecerat, iure ruptum non dicatur, idque ex eo, quod dixerat Pertinax; ἡ γὰρ ἀτελής διαθήκη, ἀσθενὴς ἀμάχως ἐστὶ.

§. VIII.

Vera autem exceptio contra Orationem HELVII latet in L. XCVII. π. *de acq. vel omitt. hered.* PAULVS notando Papinianum, quem locum, cum de Paulo Papinianum confutante diceret *Corn. van BYNKERSHOEK* ad L. *Lectā c. XIII. p. 68.* recte adducere poterat. Sic scribit: *Clodius Clodianus factō prius testamento postea eundem in alio testamento inutiliter factō instituerat. Scriptus heres cum posterius putaret valere, ex eo hereditatem adire voluit. Sed postea hoc inutile repertum est. Papinianus putabat, repudiassē eum ex priore hereditatem, ex posteriore autem non posse adire; dicebam, non repudiare eum, qui putaret posterius valere: Pronunciavit: (sc. Imperator quod verbum de imperatoribus dixere veteres ICI, et exemplum habes in L. XCII. π. *hered. instit.* quae ipsum nostrum Paulum autorem agnoscit) Clodianum intestatum decessisse. Quae cum pronunciandi ratio tantopere contraria sit iuri, vel si ex Pertinacis voluntate iudices, vel*

non

B 3

ex

ex contrario quod antea statuerat AFRICANVS in *Leg. LI. π. de A. vel O. hered.* sane vix est, vt *ὄντιωπλατ* euites. Et licet multa dixerit ZVICHEMVS ad *h. §. VII.* dixerint et alii; tamen si ea opinio, quam Amicissimus noster Clariss. Io. Godfr. SAMMET in *Corol. V. ad Dissert. III. in Iacobium*, posuit, quae mihi optima visa fuit, placeat, cur enim non placeret! cum difficillimo huic textu nul- lam vim infert, nec fictione opus; Viglio non vtimur, nec aliis. Plura vero non addo.

§. X.

Haec sint, vbi vel vere, vel ex Praetoris aequitate et priuilegio posterius imperfectum prius perfectum rum- pit. Sic etiam ex Praetoris beneficio prius valet, licet posterius omni iure perfectum sit, in quo tamen ne qui- dem Pertinacis oratio proprio sensu exceptionem patitur. Audiamus tamen, quae PAVLVVS habet in *L. XCI. ff. de vulg. et pupill. substit.* ab his diuersa. Fecerat Pactume- ius Androsthenes testamentum valideque heredem scri- pserat Pactumeiam Magnam, patrem vero illius substi- tuerat. Occiso patre illo substituto, viuo adhuc testatore, fama ferebat, eam heredem ipsius Pactumeiam mortuam. Motus hoc, quod *destitutum* putabat testamentum suum testator Androsthenes, posterius ordinauit aequè valide in quo ita legauerat: QVIA HEREDES, QVOS VOLVI HABERE MIHI, CONTINERE NON POTVI: NOVIVS RVFFVS HERES ESTO. Mor- tuo testatore hic Ruffus adire vult hereditatem ex poste- riori

riori testamento. At supererat viua adhuc illa Paetumeia, quam falso testator mortuam crediderat. Haec certior facta de priori testamento et errore testatoris in ordinando posteriori, supplicando adiit Imperatores, puta SEVERVM et CARACALLAM et cum postea de alterutrius Imperatorum pronuntiatione scripserit ICTus, sine dubio idem SEVERVS est, qui pronunciauerat in L. XCVII. de A. vel O. H. Petiit vero, vt subueniret, quia haec translatio hereditatis ex erroneo rumore facta; qua propter vox Imperatoria pronunciauit: *hereditatem ad Magnam pertinere*, sicque posterius iure validum non rupit prius. Nec poterat aliter Augusta vox; iterum enim, nisi errore inductus, non testatus fuisset Paetumeius. Simile quoddam prope exemplum est apud VALERIVM MAXIMVM Lib. VII. c. 7. Sed ibi rescinditur saltem testamentum apud Centumuiros, in quo pater ex errore s. falso de filii morte nuncio, filium praeterierat.

§. XI.

Et quae illa erit iuris decisio, si fingas patrem duo testamenta scripserit, vnum sibi, alterum diuerso tempore ex fictione vnitatis vi patriae potestatis filio suo familias. Duas ergo scribit tabulas; idem est testator; vnae tabulae sunt priores, alterae posteriores. Respondet POMPONIVS in L. XVI. §. I. de Vulg. et Pupil. Substit. *utrasque tabulas ratas esse, addita illa ratione, quod non sibi, sed filio scriberet testamentum, nec sibi, sed filio heredem posuerat.*

§. XII.

§. XII.

Cumque regula sit, *Paganum duobus testamentis de-
cedere non posse*, et rationem ex *iure Pontificio* in sacris
inuenimus, hanc Praetoris aequitas fregit, vt necessitas
videtur fecisse in SCTo Pertinacis? Quid enim? Si Ca-
ius diuersis temporibus diuersas tabulas *neutris die addita*
scripserat, an subsistant? quaesitum. Neutrum stricto
iure subsistere arbitror ex eo, quod prohibuit Pontificum
autoritas. Sed dedit tamen Praetor bonorum possessio-
nem ex vtriusque testamenti tabulis, quod probat VLP IAN-
VS in L. I. §. 6. π. *de Bon. poss. sec. tab.* fictione, vt solet,
in auxilium vocata; quamuis enim duo sint testamenta,
vnum tamen esse finxit. Id vero est ex iure Praetorio,
nec proprie exceptio a regula illa in SCTo Pertinaciano
statuta.



DE
SCTO. MODESTIANO

EX
CAP. I. PAND. DE FUGITIVIS.

§. I.

Nihil frequentius, nihilque vſitatius in Iure Romano, quam vt vni rei interdum plures *leges* imo et *SCTa* prospiciant, quod vel priores *leges* in defuetudinem abierant: et sic reuocandae in vſum, vel vt aliqua in parte legis argumentum populus aut princeps *νομοθέτης* accuratius declararet: vel ſi qua omiſſa, eadem ſuppleret. Res certa eſt, nec opus probatione, quippe nemo vnquam fanus contradixit; eſt tamen exemplum in *cap. I. π. de Fugitiuis*. Proſpexerant, teſte ibidem *VLPIANO*, vni rei *SCTum Anonymum*, *Lex Fabia*, et *SCTum Modesto CS. factum*. Non quidem inquiram in veram *Legis Fabiae* aetatem, id enim iam inſtituti mei non eſt; conſtat tamen, ante *CICERONIS conſulatum* hanc ipſam legem latam fuiſſe; de ea enim diſputat in *Orat. pro L. Rabirio c. III*. Nec iunior videtur *SULLA*, qui lege ſua de *iniuriis* aequae ad *Fabiam* reſpexiſſe videtur, de quo mox plura. Sufficit, huius *L. Fabiae* caput quoddam egiſſe de *fugitiuis vel interceptis aut celatis*, vt *eisdem* vbique quaerere liceat. Ita enim docet *VLPIANVS c. l*. Hoc autem *SCTum* aditum dedit *militi vel pagano*, ad inueſtigandum *fugitiuum in praedia Senatorum vel paganorum: CUI REI ETIAM PROSPEXERAT LEX FABIA et SCTum Modesto Conſule factum*. Succederat

C

itaque

itaque Legi Fabiae SCTum, quo ea lex non solum in
vsum reuocata, sed aucta potius eo, vt id nouum cen-
suerit Ordo Amplissimus: vt fugitios inquirere volenti-
bus literae ad Magistratus dentur.

§. II.

Autorem huius SCTi citat. *Vlpianus* MODESTVM
Cof. Ant. AVGVSTINVS de Nomin. propr. Pand. Con-
sulem hunc incertae aetatis, certioris vero facit *Iac. CV-*
IACIVS in Paratit. ad π. Tit. ad L. Fabiam, cuius senten-
tiae fere omnes docti homines adstipulantur. Sic *Hadr. RE-*
LANDVS in Ahnelou. Fast. Coss. ad A. V. C. DCCCCLXXX.
Probi collegam consulem facit Modestum. Vfus est, ad
firmandam suam opinionem autoritate *Henr. NORISII*
in Epist. Coss. allata insuper hac inscriptione:

TI. MANILIO
SER. CALPVRNIO

Et ne superesset dubitandi aliqua ratio, in auxilium vocauit
subnotationes legum Codicis. v. c. *L. XXII. C. de mod.*
mult. L. IV. C. de Iudic. L. VI. C. de conf. tut. L. II. C. in
quibus caus. tut. vel cur. hab. L. IX. C. de excus. tut. L. VII.
C. de furt. et seruo corrupt. L. IV. C. ne de stat. defunct.
L. III. C. si pend. appell. mors interuen. L. I. C. ne fisc. rem
quam vend. euinc. Omnia haec principum placita in sub-
scriptione continent nomina Modesti et Probi Consulium.

§. III.

Sed quid opus multa probatione, cum *CASSIODO-*
RVS, Chron. Alexandr. Fasti Florent. maior. Fasti Idatiani.
PROSPER. in Chron. Fasti Anonymi et *BYCHERI Fragm.*
imo Inscriptio apud *GRVTERVM pag. CLIX. n. MO-*

DESTVM

DESTVM et PROBVM COSS. proferant. Valeat ergo, si Diis placet, Cuiaciana opinio, si ex modo dictis sequatur, hunc ipsum Modestum *autorem* S^CTi nostri fuisse, quod A. V. C. DCCCCLXXX. consulatum gessisset; at quis de illa consecutione non dubitet?

§. IV.

Miror *Abrah. WIELINGIVM* in *Iurispr. restit. p. 552.* sola *Cuiacii* autoritate permotum, *Relandi* adoptasse opinionem, vbi tamen neuter probauerat, S^Crum nostrum hoc anno et condi et ab *Vlpiano* recenseri potuisse. Neque vero ex adducta illa inscriptione satis probatum videtur, *Modestum* praenomen *Titi* habuisse, et ex gente *Manilia* ortum, collegam vero *Probum* vsum fuisse praenomine *Seruii* vel *Sextii*, natalesque genti *Calpurniae* debuisse: Si ita procedamus, cui non erit facile, datis praenomini- bus ac nominibus, prouti necesse videtur, cognomina excogitare? Accedit, quod *Onuphr. PANVINVS* in *Fast. Coss.* hunc non *T. Manilium* sed *Vettium Modestum* appellatum inuenerit: quo ergo iudice vtamur?

§. V.

Veri itaque sunt omnes in eo, *Modestum* aliquem, siue *Vettium*, siue *Manilium* A. V. C. DCCCCLXXX. consulem fuisse. Cum vero a solo nomine ad legis cuiusdam autorem vix tuto concludendum videatur, videamus an *Chronotaxi* ille annus recte conueniat, imo an conueniat cum *Domitii* narratione.

§. VI.

Constat, *Vlpianum* imperante *ALEXANDRO* floruisse. Praefectum Praetorio fuisse, imo in ipsius, in cuius

deliciis fuerat, imperatoris gremio occisum, ut habet SPARTIANVS in *Vit. Alexandr. C. XXVI.* Sed, an eodem Imperatore scripserit *ad Edictum libros?* de eo valde dubito, dubitant et alii. Quoties enim de CARACALLA. A. fermo incidit, toties de eo tanquam viuo dicit eumque NOSTRVM vocat. Patet id *ex L. 1. π. de Calumn.* quae desumpta *ex Libr. X. ad Edict.* et *L. IX. §. 3. π. quod metus caus.* *ex L. XI. ad Edictum.* Imo vix alium Augustum prioribus libris post Caracallam imperantem adfert. Nihil ergo certius, quam Vlpianum Libros ad Edictum confecisse vel saltem inchoasse imperante adhuc Caracalla. Lex vero *I. de Fugit.* in qua S^Cti Modestiani mentio facta *ex Lib. I. ad Edict.* desumpta. Quodsi igitur Caracalla A. V. C. DCCCCLXIX. interfectus, quo demum modo fieri potuit, ut I^Ctus, qui ante hunc annum scripserat, S^Ctum adduceret, quod A. DCCCCLXXX. factum esset?

§. VII.

Neque conuenit adeo cum ipsa rei narratione coniectura Cuiacii, Relandi et Wielingii. Eo enim ordine processerat Vlpianus, ut, quid iuris nouioris esset prius referret, post ad ea iura, quae antiquiora erant, pergeret. Sic, cum de S^Cto Anonymo disputasset, huic, inquit, rei etiam prospexerat Lex Fabia et S^Ctum MODESTO *Cof. factum.* Antiquissima Lex, quae de fugitiuis lata sine dubio fuit Fabia. Addiderat autem Lex Cornelia Sullae, quae de iniuriis scripta est, vel si mauis, extenderat Legem Fabiam ad seruos his verbis: *ne quis seruum Legis Corneliae reum reciperet, teste VENVLEIO in L. XII. π. de accus. et inscript.* Successit S^Ctum Modestianum et hoc excepit Anonymum,

nimum, quod praeter caetera etiam *aditum militibus et paganis in praedia Senatorum et paganorum permisit*, multamque centum solidorum statuit in eos magistratus, qui acceptis literis non adiuent inquirentes. Cum vero D. PIVS apud eundem *Vlpianum c. l.* quae de literis ad Magistratum dandis in Scto Modestiano scripta erant, etiam ad Praesidem Prouinciae extenderet, nihil vero de Senatorum praediis, neque de multa centum solidorum statueret, non dubito, quin Cos. Modesto Senatus sua censuisset ante Pium, Sctum vero Anonymum post Pii tempora factum sit. Et sic omnino placet.

§. VIII.

Abeat ergo Relandus, abeant alii cum suo Modesto, quem ne subintelligere quidem poterat Domitius. Non quidem infrequens est Modestorum nomen in lapidibus. Occurrit apud GRVTERVM pag. MCXXXII. 6. Q. FONTEIVS MODESTVS, pag. LIII. 15. C. IAVOLENVS MODESTVS. pag. CCCCLXXXVII. 5. Q. VIBIVS MODESTVS pag. CCXL. D. IVNIVS MODESTVS pag. DLXXIV. I. C. VETTIENVS MODESTVS pag. CCCXCIII. I. IVNIANVS MODESTVS pag. DXCVI. II. L. ACILIVS MODESTVS pag. CCCXXIV. IO. L. ANTONIVS MODESTVS pag. CCCXL. 2. L. AQVILIVS MODESTVS pag. CMXXXIV. IO. Q. CAECILIVS MODESTVS et apud REINESIVM *Class. VI. Inscript. 13.* mentio fit L. MAMILII MODESTI. Quis vero suspicabitur, vnum ex his omnibus Consulatum gessisse, cum praeter nomen fere nihil de iis constet. Fuisse tamen Modestos, qui in dignitate constituti fuerant, patet ex



honorifica illa inscriptione apud GRVTERVM. pag. CCCXLIV. 5. quam ideo dabimus, an coniciendo quis quid inde adsequi queat.

C. OCTAVIO. C. F.

PAL. MODESTO.

AVGV. II. VIR. ID. QVAEST. II.

PRAEF. FABR. ROMAE. PRAEF.

COH. II. PANONIOR. PRAEF.

COH. III. SCYTHIC. CVRAT. REL.

P. AECANOR. ITEM. HONORA

TO. AD. CVRAM. KALENDARIL

REIP. CANVSINOR. A. D. TRA

IANO. PARTHICO. ET. AB. IMP. HA

DRIANO. AVG. NIC. OPVS. QVA

DRIGAE. CVM. EFFIGIE. IMP. HA

DRIANI. AVG. CITRA. VLLIVS. POSTV

LATION. CVM. A. MVNICIPIBVS.

SVIS. OBLATVM. EX. ARGENTI

LIBRIS. DXVII. = LIBRIS ∞. AD

IECTIS. AMPLIVS. VIRITIM. PO

PVLO. ✕ SING. DISTRIBVTIS

DEDICARI CVRAVIT.

P. D. D.

§. VIII.

Neque minoris dignitatis fuit, potius vero maioris ille Modestus, quem exhibet haec inscriptio apud *Eund.* pag. CXXXIX.

Q. PETRONIVS. C. F. PVB. MODESTVS. P. P.

BIS. LEG. XII. FLAM. ET. LEG. I. ADIV. VIC.

TRIB. MIL. COH. V. PR. PR. DIVI. NERVAE.

ET. IMP. CAES. NERVAE. TRAIANI. AVG.

GERMA. PROV. HISP. CITER. ASTV

RIAE. ET. CALECIARVM. FLAMEN.

DIVI. CLAVD. DEDIT. IDEMQVE. DEDICAVIT.

Mellem, ut constaret, quo tempore vixisset ille Modestus, cuius inscriptio, quae in agro Patauino extat, apud GLANDORPIVM. *Onomast.* p. 122. legitur; forsitan ad Consulatum Modesti peruenire coniectura possemus; ita enim sculptum legitur.

Q. ASCONIVS. MODESTVS. PRAET. PROC.

PRAEF. AERARIL. SATVRNO. DEDIT.

Quis

Quis enim non exinde ad eiusdem *Consulatum* concluderet, si sub PRAET. PROC. *Praeturam* et *Praeconsulatum* recte subintelligamus. At haud nego, omnes merasque esse coniecturas, omniaque, quae dici et conici possunt, obscura et incerta.

§. X.

Sed quid in tantis tenebris statuendum? SCtorum de iure priuato vsus maxime sub Tiberio inualuisse certissimum, sic et ab eo tempore calculus ducendus: cum vero ante Pii tempora factum sit, necesse est, si medium tempus eidem tribuamus, et vel sub *Nerone* vel sub *Vespasiano* factum coniciamus. Sed sic saltem in dubio, donec quis meliora proferat. Ii, qui Fastos Consulares edidit, imo Suffectos substituerunt, neminem adferunt, qui quidem nomen gentis habuerit, ex qua Modestorum familia originem traxerit praeter FONTEIAM, ex qua C. FONTEIVS ex familia CAPITONVM A. V. DCCXLIII. et L. FONTEIVS CAPITO A. DCCCXI. et C. FONTEIVS CAPITO A. V. DCCCXIX. Consulatum gesserunt. Sed quid hi ad nostrum? Quapropter cum Ant. Augustino censo, cum omni auxilio historico destituti simus, certum aliquem annum neque consulatui neque SCto adsignari posse. Sufficiat interim mihi, me accurate probasse, Cuiacium in determinanda vera SCti Modestiani aetate errasse, imo peccasse eos, qui cum eo consentiunt.

§. XI.

Iam paucis ad ea, quae post Consulatum Modesti facta sunt, pergamus. DIVVS MARCVS. A. in *Oratione in Senatu* habita apud VLPIANVM in L. III. ff. de fugit. et Caesarum et Senatorum praedia scrutari permisit. At vero Anonymum illud in L. I. π. eod. solum senatorum et paganorum praediorum mentionem iniecit, vt quidem antiquius *Oratione* Marci, iunius vero Rescripto D. Pii videatur. Hinc ipsius Pii temporibus SCtum illud factum esse non dubito.

dubito. Accedit tandem D. MARCI et COMMODI *Edictum*, seu, vt placet Vlpiano, *generalis epistola*, qua praeter Praesides et Magistratus, etiam milites stationarii ad auxilium excitati fuerunt, vt inquirentibus fugitiuos succurrant.

§. XII.

Neque vero haec quidem epistola A. V. C. DCCCCXX. excedere poterit. COMMODI enim nomine et L. VERVM alterum e Diuis fratribus dici, vel inde constat, quod, quoties de Commodo filio ICTI loquantur, semper filii appellationem adiiciant. Sic factum a PAPINIANO Lib. XXX. *Quaest. in L. XXXVIII. §. 8. ad L. Iul. de adult.* vdi verba: Imperator Marcus et Commodus filius rescripsere. CALLISTRATVS L. IV. de Cognit. in L. XXXIII. §. 1. de adm. et per. tut. scribit: *idque etiam Diuus Marcus cum filio suo Commodo rescripsit.* Hanc ipsam opinionem nuper satis accurate probauit Cl. Ioh. Godf. SAMMET in *Exerc. I. Recept. Lect. ad Iacobium p. 16. sq.* Sed miror Cl. Autorem Diarii eruditi Lips. cuiusdam hanc reiecit et vel sine iusta causa, si ita dicere fas sit, contradixisse, quod argumenta ex Panuino et alia allata non satisfacerent. Sed quid clarius CAPITOLINI verbis: *VERVM vocari praecepisse cum antea COMMODVS diceretur.* Conspirant etiam FASTISICVLI ad A. DCCCCXIII. ΜΑΡΚΟΥ. ΑΥΦΑΙΟΥ. καὶ ΔΟΥΚΙΟΥ. ΚΟΜΜΟΔΟΥ. ΑΥΓ.

Sed ad rem redeo; Marci itaque mandatum et Commodi est anterius SCTo, quod ad orationem diui Marci factum, quippe hoc post A. DCCCCXX. conditum, a quo solus imperauit Marcus.

Sed iam satis! Iudicent itaque alii, quorum interest, an vera sit nostra sententia et coniectura, imo dicant libere et ex animi sententia, si quid falsi se immiscuerit, aut si quid humani passus simus, quod nec a nobis alienum fore, probe scimus. At dicant studio veritatis, non inuidiae, non partium, nec vt soli sibi sapiant.

Kb 271E

ULB Halle

3

005 366 593



Blank label on the right edge of the book cover.



Pr. 07. num. 23.

PROLVSIONES ACADEMICAE

I
AD

ORATIONEM
D. HELVII PERTINACIS A.

1450

IN

§. VII. INST. QVIB. MOD. TESTAM. INFIRM.

II

AD

SCITVM
MODESTIANVM

EX

CAP. I. DIG. DE FVGITIVIS

A V T O R E

CHRISTIANO HENRICO BREVNING

ICTO ET ANTECESSORE.



EDITIO SECVNDA

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.
A. MDCCCLV.



P. 301

1817

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Inches

Centimetres